

DE OFFICIO COMITIS RERUM PRIVATARUM.

1.33.1

*Imp. Valentinianus et Valens AA. ad Honoratum consularem Byzacii.*

Si quid negotiorum fuerit actitatum, in quibus aliquid commodi fiscalis appareat, ad officium rei privatae tua gravitas acta transmittat, ut instructione percepta, quid sibimet iuris auxilio debeat, agnoscat.

*D. VI k. Ian. Valentiniano et Valente AA. II cons.* [a. 368]

1.33.2

*Imp. Arcadius et Honorius AA. Minervio comiti rerum privatarum.*

Ad palatinorum curam et rationalium officia omnium rerum nostrarum et totius perpetuarii, hoc est emphyteuticarii, iuris exactio revertatur.

*D. X k. Ian. Mediolani Caesario et Attico cons.* [a. 397]

1.33.3

*Imp. Honorius et Theodosius AA. Ursacio comiti rerum privatarum.*

Si quis iudicum vir illustris vel praefectus urbi cognitionem comitivae privatarum examini debitam sibimet vindicandam censuerit vel tuitionem contra eiusdem sedis statuta praestiterit, ad quinquaginta librarum auri illationem poenae nomine eius officium teneatur, quam decet in articulo exigi mansuetudinis nostrae aerario sociandam.

*D. VI id. Aug. Ravennae Constantio et Constante cons.* [a. 414]